

commissis et certo gravibus. Ecclesia enim non intendit reservare peccata, nisi sint certo commissa et certo gravia, cum peccata graviora tantum reservare soleat. *S. Lig. n. 600.*

2° *Affirm.*, etiam *probabilius* in dubio juris, id est, si dubium versetur circa legem reservantem, vel ejus extensionem. Ratio eadem est, nempe quia reservatio est strictæ interpretationis, et proinde in dubio pro nulla habenda est. Ita communiter cum *S. Lig. ibid. et aliis multis contra paucos*, v. g. *Antoine, Concina*, etc.

588. — *R. ad 2^m Quæ.* 1° Si dubitet an peccatum sit reservatum de jure vel facto, absolvere potest, juxta modo dicta. 2° Si vero dubitet an illud peccatum sit in catalogo reservatorum, vel in litteris quas a Superiore accepit, debet differre absolutionem ad inquirendum. Si autem desint hic et nunc inquisitionis media, et aliqua necessitas urgeat, potest absolvere pœnitentem, monendo ut postea, data opportunitate, alium adeat majori gaudentem potestate, vel ad seipsum redeat, si possit; et interea Confessarius rem exploret, et si facultate careat, illam obtineat, ut pœnitens alia vice absolvi possit.

589. — *R. ad 3^m Quæ.* LEONARDUS absolvere potuit *licite et valide* BERTAM et CAIAM, prædicto stante dubio, ut dictum est. Potest enim dici: *reservatio dubia, reservatio nulla*, sicut dicitur: *lex dubia, lex nulla*. Quod vero ad ROSALIAM attinet, LEONARDUS diligenter inquirere debuit, ut sciret num peccatum reservatum esset, necne? Si hoc rescire hic et nunc non potuisset, absolutionem ad aliud tempus remittere debuisset, ut inquirere posset. Urgente tamen gravi causa, ipsi mulierem statim absolvere licuit, eam tamen monendo ut reverteretur, vel alium adiret, ut supra dictum est. *Elbel, n. 389. — Lacroix (1).*

CASUS VI.

AN SEMPER APERIENDA RESERVATIO?

1° ALBERICUS, Parochus, peccato reservato obstrictus, in celebrandi necessitate versatur, propter frequentiam populi die festo Missam audiri. Non adest præsens alius Sacerdos, nisi PAULINUS ejus Vicarius, qui facultate absolvendi a reservatis destituitur. Quid faciet miser? Neglecta confessione et elicto contritionis actu, ad sacrum faciendum se accingit. Attamen scrupulo motus, Vicarium adit, et sola peccata venialia, relicto mortali reservato, confitetur.

2° ELIGIUS, penes Confessarium pro reservatis approbatum sarcinam peccatorum deponens, omnia peccata lethalia quorum conscientiam habet, et inter alia unum reservatum confitetur, sed alterius reservati inculpabiliter obliviscitur, et insuper, servato affectu ad aliud peccatum mortale declaratum, absolvitur. Paulo post tactus dolore cordis intrinsecus statuit confessionem iterare, eodemque tempore in mentem ipsi venit peccatum

(1) Difficultas in pluribus locis per Statuta synodalia tollitur, jurisdictionem scilicet certo conferendo Sacerdoti in favorem pœnitentis.

illud reservatum, cujus prius non meminerat. Hæc omnia simplici Confessario sincere et dolenter manifestat.

HINC :

QUÆR. 1° *An ALBERICUS ad confitendum fuerit obligatus?*

2° *Quid, si aliud mortale non reservatum habuerit?*

3° *An peccatum reservatum in confessione reticere potuerit?*

4° *An ELIGIUS a simplici Confessario directe potuerit absolvi a peccato reservato in confessione sacrilega accusato, et ab alio in confessione ex oblivione omisso?*

SOLUTIO :

590. — *R. ad 1^m Quæ.* *Nego probabilius*, quia ad confessionem non tenetur, neque ratione peccati reservati, quod directe remitti nequit, neque ratione venialium, quæ non sunt materia necessaria confessionis. *S. Lig. n. 265, etc.* Sed ALBERICUS tenetur ad contritionem perfectam eliciendam, et si de ea dubitet, ad confessionem obligatur.

591. — *R. ad 2^m Quæ.* In hoc casu confiteri omnino tenetur, quia urgeret præceptum divinum præmittendi confessionem Communioni, et nulla excusatio a præcepto confessionis daretur. Ita *communissime*, inquit *S. Lig.*

R. ad 3^m Quæ. Affirm. Ratio est, quia peccatum reservatum, ut jam dictum est, a simplici Confessario remitti nequit. Ergo ALBERICUS potuit sola venialia accusare, et peccatum reservatum reticere, quin integritatem confessionis violaret. *Recole dicta supra de Eucharistia, cas. 13, ad 3^m Quæ. n. 286, et cas. 14, n. 288 in nota.*

592. — *R. ad 4^m Quæ.* 1° Quoad peccatum reservatum in confessione sacrilega accusatum: *probabiliter* absolvi potuit ELIGIUS a reservatione, licet sacrilege ob defectum contritionis confessus sit. Ratio est, quia reservatio principaliter ad hoc ordinatur ut peccata Superiori deferantur; atqui ELIGIUS peccatum reservatum Superiori detulit, licet valide absolutus non fuerit. *S. Lig. n. 598.* Ergo satis erit, si apud simplicem Confessarium iteret confessionem.

2° Quoad peccatum reservatum in confessione ex oblivione omissum, *probabiliter* etiam legi reservationis satisfecit. Ratio est, quia recte præsumitur Superior liberare voluisse pœnitentem ab omni vinculo, a quo eum absolvere poterat. *Lugo. — Collet, etc.*, Sed opposita sententia est etiam probabilis. *V. S. Lig. n. 597. — V. Comp. n. 581.*

CASUS VII.

ABSOLUTIO A RESERVATIS 1°.

LIBORIUS, simplex Confessarius, a reservatis etiam extra mortis casum absolvit: 1° GERMANAM, quæ secus per hebdomadam in statu peccati mortalis cum magna anxietate permanere deberet; 2° CAIUM, cujus confessionem longam ac difficilem exceperat antequam reservationem cognosceret; 3° GERUNTIIUM, senem, qui accedit ad confitendum ultima die temporis

Paschalis, et valde distat ab urbe episcopali; nec proinde ad Episcopum accedere personaliter potest. Hos pœnitentes absolvendo, LIBORIUS, enixe profert et ingeminat hæc formæ sacramentalis verba : *in quantum possum et tu indiges*. Non autem curat ut eos moneat de obligatione hæc peccata reservata postea, data occasione, Superiori, vel alicui delegato, confitendi.

HINC :

- QUÆR. 1° *An simplex Confessarius absolvere possit quandoque, extra mortis casum, pœnitentem reservatis obstrictum? Vel quibus de causis?*
 2° *An directe, vel indirecte?*
 3° *Quid ad casum?*

SOLUTIO :

593. — *R. ad 1^m Quæs.* Potest quandoque absolvere, nempe stante gravissimo incommodo secus eventuro, et urgente gravi necessitate, ita ut non pateat recursus ad Superiorem, ne per litteras quidem. Ratio est, quia non censetur Superior velle ad legem suam obligare cum tanto incommodo. *S. Lig. n. 585, et alii communiter contra plures, v. g. Pontas, v. Cas réservés, c. 18.*

594. — *R. ad 2^m Quæs.* *Indirecte* tantum in eo casu Confessarius absolvere potest a peccatis reservatis, quamvis ab aliis directe absolvat. Ratio est, quia caret jurisdictione in reservata; nec Ecclesia eam supplere censetur: nulla est enim supplendi causa, cum pro necessitate præsentis sufficiat absolutio *indirecta* reservatorum. *S. Lig. n. 585. — V. Comp. n. 575.*

595. — *R. ad 3^m Quæs.* LIBORIUS absolvere potuit *indirecte* GERMANAM a peccatis reservatis, quia est magnum incommodum remanere tamdiu in statu peccati mortalis pro anima anxietate magna correpta. Absolvere potuit CAIUM, quia magnum ei foret incommodum, si longam confessionem apud alium iterare deberet. Potuit absolvere GERUNTIIUM, ratione necessitatis tempore Paschali communicandi. Non valet autem ratio quod personaliter ad Episcopum recurrere nequeat, quia scribere posset per se vel per alium. Ligati censura papali possunt quidem adire Episcopum, si Romam petere nequeant, ut a jure conceditur; sed non ideo impediti ab adeundo Episcopo personaliter a quocumque absolvi possunt. LIBORIUS autem male fecit omitendo admonere præfatos pœnitentes de obligatione casum reservatum iterum declarandi Confessario qui pro reservatis approbatus esset. Caritati consonum fuisset, si, eos admonendo, promisisset se licentiam pro eis rogaturum, et eos denuo absoluturum, ut sic ipsis nova accusatio vitaretur.

CASUS VIII.

ABSOLUTIO A RESERVATIS 2°.

SAMUEL, Religiosus, gaudens facultate absolvendi a casibus reservatis Papæ, absolvit quoque a casibus episcopalibus quin fuerit ad hoc specia-

liter delegatus, præsertim quando duplex reservatio, *Papalis* scilicet et *Episcopalis*, eidem peccato inhæreat: quia, ait, *qui potest plus, etiam potest minus.*

HINC :

- QUÆR. 1° *An Religiosus delegatus pro casibus papalibus, etiam ab episcopalibus absolvere possit?*
 2° *Si pœnitens sit ligatus duplici reservatione, papali nempe et episcopali, an, sublata priore, posterior maneat?*
 3° *Quid ad casum?*

SOLUTIO :

596. — *R. ad 1^m Quæs.* 1° Religiosus delegatus ad casus papales, non ideo absolvere potest a casibus reservatis ab ipsis Episcopis. Ratio est, quia in variis Decretis, scilicet *Pauli V* et *Urbani VIII*, vetatur Regularibus ne facultatem concessam quoad casus papales extendant ad casus Episcopis reservatos.

2° *Probabilius* tamen præfatus Religiosus absolvere potest a casibus de jure communi Episcopis reservatis, nisi eos *specialiter* Episcopi sibi reservaverint, et tanquam a se reservatos in libello suo casuum reservatorum consignaverint. Sic ex interpretatione communi. Ratio est, quia casus illi, licet sint reservati Episcopis a jure communi, non sunt tamen reservati ab ipsis Episcopis. *S. Lig. de Censuris, n. 99.*

597. — *R. ad 2^m Quæs.* *Affirm.* Ratio est; quia una reservatio est independens ab altera; et duæ reservationes se habent instar duarum catenarum quarum, una soluta, remanet altera. *V. Comp. de Censuris, n. 954.*

598. — *R. ad 3^m Quæs.* Erravit admodum P. SAMUEL absolvendo a casibus episcopalibus absque Episcopi delegatione, ex eo quod pro casibus papalibus approbatus sit, et solvendo duplicem catenam, dum unicam solvere valebat. Falso enim applicuit principium: *Qui potest plus, potest minus*; addere debuisset: *in eodem genere*. Hic autem non agitur *de genere eodem*, cum casus papales et episcopales a principio diverso originem ducant. Insuper, si qua foret difficultas, ipso jure dirimitur, juxta superius dicta.

CASUS IX.

ABSOLUTIO A RESERVATIS 3°.

1° DAFROSA tempore Jubilæi confessa est penes RODULPHUM, in his adjunctis pro casibus etiam reservatis approbatum. Judicavit Confessarius peragendam esse ab ea generalem vitæ confessionem. Hac diligenter peracta, DAFROSA absolutione donatur. Sed, elapso Jubilæi tempore, meminit peccati gravis et Episcopo reservati, inculpabiliter in præteritis confessionibus omissi. Pergit statim ad eundem Confessarium, a quo denuo absolvitur.

2° RECADIUS, simplex Confessarius, absolvit TITIIUM a peccato gravis

percussionis Clerici, Papæ reservato, quia ille ob incommoda ætatis pro-
vectæ perpetuo laborat impedimento Romam personaliter eundi. Postea
autem dubitat an recte fecerit, vel quid sit faciendum.

HINC :

QUÆR. 1° *An DAFROSA valide absolvi potuerit, elapso Jubilæi tem-
pore?*

2° *An Confessarius simplex absolvere possit a casibus papalibus
eos qui Romam ire nequeunt?*

SOLUTIO :

599. — *R. ad 1^m Quæ. Affirm.* Ratio est, quia Confessarius, a quo
DAFROSA tempore Jubilæi confessio audita est, recte præsumitur habuisse
intentionem tollendi quamlibet reservationem, sicut auferre poterat. Ha-
bens enim facultatem absolviendi pœnitentem, eam in quantum potest
absolvit. *Pontas, v. Cas réservés, cas. 25. — Collet adnotator, ibid.*

600. — *R. ad 2^m Quæ. Negative.* Ratio est, quia simplex Confes-
sarius nullam habet facultatem ab illa censura absolviendi. Percussio
enim gravis Clerici est casus Papæ reservatus; si fuisset percussio levis,
Episcopo reservaretur. Nec refert quod pœnitens Romam adire non
possit; quamvis enim propterea eximatur a lege adeundi Sedem Aposto-
licam, non eximitur tamen a lege se præsentandi, eo modo quo potest,
Episcopo, a quo, stante prædicto impedimento, a censura sua absolu-
tionem obtinere valet. Poterit igitur Confessarius, si aliqua necessitas
gravis urgeat, et facilis aditus ad Episcopum non pateat, pœnitentem
hunc absolvere cum onere se præsentandi Episcopo, eo tempore et modo
quo potuerit. *Lugo, diss. 20, sect. 10.*

Hinc RECADIVS invalide absolvit pœnitentem a percussione gravi Cle-
rici, sub prætextu quod ille personaliter Romam ire non poterat, quia
tunc casus Episcopo reservatus manebat.

CASUS X.

ABSOLUTIO A RESERVATIS 4°.

Facultas pro aliquo postulata, et alteri applicata.

1° DIDACUS, Confessarius, ab Episcopo postulat facultatem absolviendi
ANDRÆAM a peccato, quod reservatum esse putat. Ponit in libello sup-
plici fictitium nomen, seu TITIVM, nec peccati speciem exprimit. Sed,
obtenta facultate, deprehendit casum hunc non esse reservatum. Ut au-
tem gratia inutilis non evadat, eam servat, eidem in alio casu vel alteri
applicandam. Elapso vix mense, ecce ANDRÆAS in peccatum vere reser-
vatum incidit, et Confessarius illico facultate, quam intactam servaverat,
in ejus favorem utitur.

2° RENATUS facultatem obtinuerat ab Episcopo aliquem pœnitentem,
seu TITIVM, a reservatis absolviendi. Verum eum absolvere non potuit,

quia, nescio qua de causa, ad confitendum non rediit. Quid tunc RENA-
TUS? Ne inutilis evaderet obtenta facultas, eam CAIO, casu reservato
obstricto, applicuit.

HINC :

QUÆR. 1° *An DIDACUS valide absolverit ANDRÆAM a peccato reservato,
vi facultatis ex errore postulata?*

2° *An RENATUS alium valide absolverit a peccato reservato, loco
TITHI qui non rediit?*

SOLUTIO :

601. — *R. ad 1^m Quæ. Nego.* Ratio est, quia concessio secundum
petitionis tenorem facta censetur; nullum autem aliud peccatum in peti-
tione positum est, nisi peccatum non reservatum. Ergo.... Nec licet præ-
sumere aliam fuisse mentem Superioris; hic enim bene cogitare potuit
Confessarium hanc facultatem petere, quia putabat eam necessariam esse,
vel ad magis placandum animum pœnitentis metuentis ne casus esset
reservatus. *Pontas, v. Cas réservés, cas. 23. — Sættler, de Ministro
Pœnitentiæ, c. 2.* Ergo DIDACUS graviter erravit et invalide ANDRÆAM a
reservato absolvit, quia nullam obtinuerat potestatem ab illo peccato ab-
solviendi, sed pro alio peccato facultas ei facta fuerat.

602. — *R. ad 2^m Quæ. Solutio quæstionis pendet a modo quo fa-
cultas absolviendi postulata est. RENATUS alium absolvere potuit, si facul-
tatem petiverit pro aliquo indeterminato, v. g. petitur facultas aliquem
a peccatis reservatis absolviendi, et etiam quamvis hic, solum post con-
cessam facultatem, in reservatum lapsus sit. Ratio est, quia facultas tan-
tum valet quantum sonat; sonat autem quod possit quempiam absolvere,
nec distinguit inter peccata jam commissa, aut nondum commissa. 2° Non
potest autem, si facultatem petiverit pro aliquo ita determinato, ut alter
in hac petitione censi nequeat comprehendi. Hinc, si petit pro paro-
chiano, alium non parochianum absolvere non potest. Nec potest absol-
vere pariter a peccatis nondum commissis, si insinuaverit in petitione
objectum facultatis esse peccata jam patrata. Sættler, ibid.*

CASUS XI.

CONFESSARIUS INTRICATUS

Pro absolutione a reservatis.

NICODEMUS, peccato reservato ligatus, rogat Confessarium, ut faculta-
tem ipsum absolviendi ab Episcopo impetrare velit. Illico Confessarius
ejus votis obtemperare satagit. Sed ecce! o humanam fragilitatem! dum
postulatum ad Episcopum mittitur et gratia concessa ad Confessarium
remittebatur, iterum atque iterum in idem peccatum NICODEMUS prolabitur;
imo etiam aliud reservatum committit. Hæc Confessario pandit ille ge-
mebundus; sed Confessarius jam nescit an ad eum absolviendum nova
facultate indigeat.

HINC :

- QUÆR. 1^o *An nova facultas requiratur ad absolvendum pœnitentem a peccato reservato, si post gratiam postulatam, antequam absolvatur, in idem peccatum reservatum relabatur?*
- 2^o *An vero nova facultas requiratur, si pœnitens ante absolutionem in novam reservationem incidat?*
- 3^o *An demum requiratur nova licentia, si quis peccaverit cum confidentia licentiæ certo obtinendæ, vel jam obtentæ?*
- 4^o *Quid ad casum?*

SOLUTIO :

603. — *R. ad 1^m Quæst. 1^o Affirm.*, si licentia data sit pro solis peccatis numero determinatis, seu præcise pro peccatis jam commissis. Ratio est, quia licentia tantum valet quantum sonant verba quibus postulatam aut indultum exprimitur. *S. Lig. n. 601. — Lacroix, n. 1692. — Lugo, D. 20, n. 122.*

2^o *Neg.* si licentia indefinite concessa fuerit, seu in genere pro absolvendo aliquo a reservatis; tunc enim extenditur ad omnia reservata quibus ligatur pœnitens quando absolvitur, sive commissa sint ante petitionem vel concessionem licentiæ, sive concessione jam facta. Excipe, nisi pœnitens novum peccatum reservatum committeret post notabile tempus, v. g. post mensem; quia non præsumitur Superiorem voluisse ut absolutio tandiu differretur. Idem etiam dicendum, si concessio facta fuerit intuitu alicujus festi particularis. *S. Lig. ibid. — Lacroix, ibid.*

604. — *R. ad 2^m Quæst.* Eadem valet responsio. Semper enim distinguendum est; nam vel petitio licentiæ fuit determinata, vel indefinite concessa. Si prius, nova dispensatio requiritur; secus, si posterius.

R. ad 3^m Quæst. Neg., si indefinite concessa fuerit. Ratio patet ex eo quod habeatur licentia generalis absolvendi aliquem a reservatis, et donec absolutus fuerit concessio perdurat. *S. Lig. n. 601.*

605. — *R. ad 4^m Quæst.* NICODEMUS ab omnibus reservatis absolvi potest, si Confessarius postulavit facultatem in genere absolvendi aliquem a suis reservatis; secus, si restricta fuerit petitio. Parvi autem refert quod NICODEMUS in idem peccatum, vel in novum reservatum lapsus sit, si petitio fuerit generalis.

CASUS XII.

SOLERS POSTULATUM.

Facultas pro aliquo incognito postulata, et sibi applicata.

PHILIBERTUS, cum in peccatum reservatum incidisset, facultatem petit per epistolam, ut CAIUS a reservato uno absolvatur. Sed quis CAIUS? ipsemet PHILIBERTUS. Hinc dicit Confessario suo, se obtinuisse gratiam ut absolvi possit. Alias, peccato turpi cum quadam muliere commisso,

postulat facultatem ut TITUS Sacerdos complicem absolvat... Quis autem TITUS? ipsemet PHILIBERTUS; et ipsissimam complicem absolvit.

HINC :

- QUÆR. 1^o *An valeat concessio facultatis pro peccato reservato, si quis fingat se eam pro alio postulare, dum revera pro seipso postulat?*
- 2^o *An Sacerdos petens facultatem ut aliquis Sacerdos complicem absolvat, propriam complicem ipsemet absolvere queat?*
- 3^o *Quid ad duplicem casum?*

SOLUTIO :

606. — *R. ad 1^m Quæst.* Res pendet a modo quo fit petitio. Si v. g. ita fiat: *Petitur facultas ut aliquis absolvi possit a reservato; Diana, et alii cum Aversa, apud Lacroix, putant posse tunc oratorem ipsum absolvi, quia Superior consentit vage, non determinando Confessarium, vel pœnitentem. Et sane pro τὸ aliquis etiam orator satis intelligi posse videtur. Excipe, nisi aliud constet de Superioris voluntate, prout est in aliquo religioso Ordine, ubi hæc facultas, nisi aliter dicatur, tantum ab absolvendo conceditur. At non valida videtur pro oratore facultas, si modo nimis ambiguo petatur, v. g. : *Peto facultatem pro absolutione a reservato.* Nam Superior, petitionem juxta obvium sensum, accipiendo, facultatem absolutionem dandi, non eam recipiendi, oratorem petere judicabit, illam que hoc sensu concedet. Ergo, etc.*

607. — *R. ad 2^m Quæst. Affirm.* Ratio est, quia facultas absolvendi complicem postulata est in genere pro aliquo Sacerdote. Ergo tam valere debet pro ipso oratore quam pro alio: etenim, dum Superior seu Pontifex potestatem hanc pro aliquo Sacerdote concedit, eam sane concedere intendit si quis hac licentia indiget, quicumque sit ille. Insuper, necesse non est ut cognoscat eum qui absolvere debet. *Sættler, de Min. Pœnit. c. 2, Quæst. 8^o.*

608. — *R. ad 3^m Quæst. 1^o PHILIBERTUS* complicem valide absolvit, saltem *per se*; nulla enim ratio afferri potest ad probandum invalidam fuisse absolutionem. Agitur enim tantum de absolutione impertienda ab aliquo Sacerdote, et petitio ad neminem in particulari restricta fuit: ergo in secundo casu PHILIBERTUS non est inquietandus. 2^o At in primo non valide absolutus videtur PHILIBERTUS per illam facultatem, verbis nimis ambiguis petitam et obtentam, ut ex dictis satis liquet.

CASUS XIII.

MILLES RESERVATO CONSTRICTUS.

Ejus admiratio!

COCLES, vir militaris, non infimo gradu insignitus, die quadam Ecclesiam ingressus, ad sedem confessionalem primum obviam accessit, et ad pedes RUFINI, simplicis Confessarii, optima fide provolvitur. Mox autem RUFINI-

nus peccatum reservatum inaudiens hæret anceps, nesciens quid sit faciendum. Etenim, si virum absolutione vacuum dimittat, hic, forte animo dejectus, alium Confessarium non adibit. Timet insuper, ne hominem hunc barbaturum offensum habeat. Attamen, jubente conscientia, declarat se facultate ad absolvendum a tanto peccato destitui, et alium Confessarium majori potestate pollentem adeundum esse. Tum COCLES: « Mehercule! ait indignabundus, quis rem adeo singularem vidit unquam? » « Quare igitur te in aperta officina constituis, si instrumentis ad operandum necessariis careres? » — RUFINUS autem, ne militem a confessione deterreat, eum *indirecte* a reservato absolvit et dimittit.

HINC :

QUER. 1^o *Quomodo agere debeat Confessarius simplex dum peccatum aliquod reservatum in confessione audit*

2^o *An COCLES a RUFINO Confessario absolvi poterit?*

SOLUTIO :

609. — *R. ad 1^m Quæ.* Unum e duobus Confessario eligendum est, scilicet : 1^o ut remittat pœnitentem ad Superiorem, aut ad alium pro reservatis approbatum; 2^o vel ut ipse a Superiore petat facultatem absolventi a tali casu reservato, tacitis circumstantiis quibuslibet, ex quibus pœnitens manifestari posset. Plerumque magis expedit, si ipse Confessarius licentiam absolventi petat. Ita nunc *sat communiter* sentiunt Theologi, ob periculum ne pœnitens alium adire non audeat. *Busemb.* apud *S. Lig. n. 584.* — *Gousset, n. 484.* — *Billuart, diss. 6, art. 6, § 3, Petes 5^o,* ubi sic ait :

« Confessarius moneat statim pœnitentem de casu reservato et quærat ab eo num velit adire superiorem vel delegatum, aut peti a Superiore facultatem absolventi. Si hoc ultimum, quærat ab eo num habeat adhuc alia reservata, ne imminuta et insufficiens facultas obtineatur. Si respondeat pœnitens, ut solitum est, se ignorare quæ sint reservata, Confessarius vel ea illi exponat, vel petat num velit ipsi aperire integrum statum conscientie, non tam per modum confessionis sacramentalis, quam ut cognoscat quid pro ipsius bono debeat exponere, vel petere a Superiore. »

610. — *R. ad 2^m Quæ. Neg.* Nulla enim ratio gravis urgebat, ut ex casu apparet. Debuisset igitur Confessarius peramanter pœnitentem inducere ad redeundum alia die determinata, et interea pro eo obtinere a Superiore facultatem ab illo reservato absolventi. Licet enim ad hoc *per se* non teneatur Confessarius, ex caritate tamen aliquando pro bono pœnitentis id præstare debet. Erravit etiam RUFINUS militem *indirecte* absolvendo, quin ei imponeret obligationem alium Confessarium adeundi. Si miles autem absque mora proficisci deberet in alium locum, vel non facile ad RUFINUM revertere posset, *indirecte* a reservato, et *directe* ab aliis peccatis, absolvendus esset, eo tamen monito ut, data opportuna occasione, Superiorem vel delegatum ad reservata adiret (1).

(1) In variis locis, Episcopi dant omnibus Confessariis facultatem milites a reservatis absolventi.

CASUS XIV.

ABSOLUTIO COMPLICIS 1^o.

1^o TITIANUS, Sacerdos, data lubrica occasione, in peccatum grave contra sextum Decalogi præceptum cum ANNA infelici casu lapsus est. Mox utrumque complicem hujus turpis noxæ pœnituit. Cum non esset ibi præsens alius Sacerdos, TITIANUS statim alium locum adit confitendi gratia. ANNA vero, aliqua infirmitate detenta, alium Confessarium adire nequivit. Igitur tristis et mœrens TITIANUM enixe rogat, ut suam confessionem excipiat. Hic dubius et anceps primum hæret : ex una parte cohibetur lege Ecclesie complicem absolvere prohibentis; sed ex alia parte opitulari vellet miseræ mulieri, quæ secus diu Confessario carebit. Tandem, misericordia motus, ANNAM in confessione audit et absolvit, ratus prohibitionem Ecclesie in hoc arduo casu non urgere.

2^o CALLIXTUS, Sacerdos, peccato turpi cum JULIA patrato, complicis confessionem excipit quidem, sed absolutionem ei non concedit. Dubitat autem postea, utrum excommunicationem incurrerit.

HINC :

QUER. 1^o *An aliquando Sacerdos complicem in peccato turpi absolvere possit, quin excommunicationem incurrat?*

2^o *An valida sit absolutio saltem aliorum peccatorum, si pœnitens fuerit in bona fide, ut fit quoties de aliis peccatis reservatis agitur?*

3^o *An incurrat excommunicationem Sacerdos complex, qui confessionem audit, non tamen absolvit?*

4^o *Quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO :

611. — *R. ad 1^m Quæ.* Nullus Sacerdos absolvere potest complicem suum in peccato turpi graviter culpabili, et hoc sub pœna excommunicationis, nisi *in casu extremæ necessitatis*, seu *in articulo mortis*. Sed etiam in eo casu non permittitur Sacerdoti absolvere complicem, nisi deficiat quicumque alius etiam simplex Sacerdos qui absolutionem imperitari possit. Constat ex Bulla *Benedicti XIV, Apostolici muneris*, in qua dicitur : « Prohibemus ne aliquis (Sacerdos), extra casum *extremæ necessitatis*, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quoque alio Sacerdote qui Confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi atque in hoc nesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere audeat, *ita ut absolutio nulla et irrita omnino sit, etc...* »

Excipitur tamen casus in quo alius Sacerdos vocari non possit sine infamia, vel scandalo. At Sacerdos complex talia pericula infamie vel scandali avertere debet, si possit, sub eadem pœna excommunicationis, licet tunc valide absolveret, si non averteret. Sic, ex eadem Bulla. *V. S. Lig. n. 553.*